

dato autem substituto, vel cohæredem, conditionem expectandam circa cætera bona præter legitimam, quæ si adimpleatur illa habebit filius, si vero deficiat perueniet ad substitutum, vel cohæredem, ut explicat Gomezius, probat Rodericus Suarez in l. quoniam in prioribus, ampliatione 6. num. 3. Costa in cap. si pater, verb. Eadem filio, num. 46. Menchaca de successio num. creatione lib. 1. §. 10. num. 302. & alij relati à Valdesio in additionibus ad Suarez dicta ampliatione 6. vide etiam supra, cap. 2. num. 18. & cap. 3. num. 38.

33 Ad numerum 33. ibi: Et resolutivè dico quod sic, &c.

Filio instituto, & gravato in legitima, (cui est status substitutus, vel cohæres) repudiante, quod gravamen transeat ad substitutum, ut docet hic noster Gomezius, probat præter relatos à Valdesio in additionibus ad Suarez in leg. quoniam in prioribus, limitatione 1. & 4. Menchaca de successio num. creatione, §. 10. lib. 1. num. 393. & à fortiori idem tenent Patilius, Alexander, & alij relati à Fusario de fideicommissis, quest. 300. num. 6. Gregorius Lopez, in leg. 1. tit. 4. part. 6. verb. Libramento, & alij citati ab Antonio Gabriele, tit. de legitima, conclusionem 1. num. 37. Barbosa in Collectanea ad dict. l. quoniam in prioribus, num. 34. Fusarius de fideicommissis, dicta quest. 296. num. 99. Sarmiento lib. 8. selectarum in leg. cum patronus, ff. de legatis secundo: iterum Suarez in dict. leg. quoniam in evidentialibus, num. 19. qui duo ultimi agunt de intellectu dict. leg. cum patronus, quatenus attinet ad gravamen impostum legitimæ & confirmatur resolutio hujus numeri ex iis quæ diximus supra, num. 31.

34 Ad numerum 34. ibi: Sed his non obstantibus, &c.

Sublatam esse hodie differentiam patriæ potestatis, & emancipationis in materia præteritionis, vel exheredationis, ut hic resolvitur, probant Costa in cap. si pater, 1. part. verb. Habens, numero decimo nono, & in §. & quid si tantum, 3. part. num. 2. 12. & ibi Sarmiento, num. 59. Cujacius novel. 118. Rojas in epitome successio num. cap. 4. num. 4. Gregorius Lopez in l. 10. tit. 7. part. 6. Matienzo in l. 1. tit. 4. lib. 5. Recopilationis, gloss. 14. ex num. 58. ubi aliquantulum dissentit à nostro Gomezio, Azevedus in l. 8. tit. 1. eodem lib. 5. Recopil. ex num. 37. ubi an sit sublata differentia, tam ex testamento, quàm ab intestato, & alij, & in leg. 1. tit. 8. eodem lib. num. 44. Gattierrez in leg. pater filium, ff. de inofficioso testamento, num. 17. Cancercius variarum 1. part. cap. 4. num. 35. ubi de tempore intentandi querelam, Barbosa in Col. ad leg. 2. cod. de inofficioso testamento, num. 2. Pichardus in 6. emancipatos, ff. de exheredatione liberorum, num. 10. & in repet. leg. Gallus, cap. 7. num. 184. & 185. ubi idem dicendum asserit, si ab intestato, si vero factis testamento veniat, ad successione, & in cap. 2. ex num. 65. Valdesius ad Suarez in leg. quoniam, ampliatione 10. num. 53. Parladorius differentia 148. num. 11. D. Joseph. Vela dissertatione 11. ex num. 62. maxime num. 65. ubi & num. 67. probat quod licet sublata fuerit differentia emancipationis & patriæ potestatis, non tamen quoad modum succedendi, nec quoad qualitatem, & præterogativam fuitatis; sic emancipatus non transmittit ex potentia fuitatis, ut dictum remanet in materia transmissionis, quævis Gaillus

practicarum observationum l. 1. observatione 131. num. 10. & alij ab eo relati contrarium teneant, Cavallos quest. 627. ubi probat contra alios hodie habere locum dispositionem text. in leg. finali, cod. de repudianda hereditate, ut scilicet solum filius suus possit revocare abintentionem hæreditatis intra triennium, & similiter transmissionem ex potentia fuitatis, & substitutionem pupillarem solum habere locum in filio in potestate existente.

Ad num. 35. ibi: Hodie tamen,

Filium præteritum, vel exheredatum à matre vel ascendente ex linea materna sine causa, posse dicere testamentum nullum; si vero cum causa habere querelam inofficiosi, ut resolvitur, docet Clarus §. testamentum, quest. 47. Petrus Gregorius in Syntagmat. lib. 44. cap. 2. num. 5. & 13. ubi explicat, Gregorius Lopez in leg. 1. tit. 7. part. 6. gloss. 2. Spino in speculo testamentorum, gloss. 20. principalis, num. 116. & 117. Valdesius ad Suarez in leg. quoniam, ampliatione 1. Matienzo in l. 1. tit. 8. lib. 5. Recopilationis, gloss. 7. n. 5. ubi idem ait è contrario, si mater à filio præteratur, Valascus consultatione 61. num. 2. Mantica de conjecturis, lib. 4. tit. 13. num. 10. Tuschus littera P. conclusionem 645. Cancercius variarum 1. part. cap. 4. num. 32. Barbosa in Collectanea ad l. 15. Cod. de inofficioso testamento, & in l. 3. ejusdem tit. ubi est casus de præteritione posthumi per matrem, Pichardus in §. mater, Institut. de exheredatione liberorum, num. 5. ubi ait, de fendi posse testamentum esse nullum jure civili, & dari bonorum possessionem contra tabulas filio à matre præterito, & in principio ejusdem tit. num. 16. Castillo l. 9. Tauri, num. 1.

Quomodo autem intelligatur fieri præteritio cum causa vel sine ea, explicat Castillo in l. 24. Tauri, verb. Præteritio.

Ad num. 36. ibi: Hodie vero de jure novo Authentico, &c.

Et ibi: Hodie vero cum filius possit testari, &c.

Parentes ex utraque linea, patris scilicet & matris, eadem remedia habere contra testamenta filiorum, quæ ipsi è contra habent contra testamentum parentum, ut superius fuit resolutum, concludit in effectu noster Gomezius, hoc num. 36. & idem probat Gregorius Lopez in l. 6. tit. 17. part. 4. gloss. finali, Clarus in §. testamentum, quest. 48. Rojas de successio num. cap. 11. num. 2. & 3. ubi per totum capitulum cumulat differentias utriusque successiois parentum, nempe & filiorum; & in duobus capitulis antecedentibus latè materiam successiois ascendente pertractat: Valascus, consultatione 61. num. 1. Molina de justitia, disputatione 175. num. 3. Rodericus Suarez in l. quoniam, ampliatione 16. & ibi Valdesius, Tuschus conclus. 642. littera P. Costa lib. 1. selectarum cap. 3. num. 6. Mantica de conjecturis, lib. 5. tit. 15. num. 24. ubi an mater possit exheredari ob stuprum, Azevedus, in l. 1. tit. 8. lib. 5. Recopil. num. 10. 12. 28. & quasi per totam legem, apud quem omnes quæstiones de materia occurrentes videri poterunt & plures doctores de ea agentes refert; & num. 46. carpit nostrum Gomezium, circa sublata differentiam emancipationis & patriæ potestatis, tam ab intestato quàm ex testamento, Gattierrez, in repetitionibus l. pater filium, ff. de inofficioso testamento, num. 24. & sequentibus, & per totum, & lib. 2. practicarum

practicarum questionum, §. 96. & omnes interpretes in l. 6. Tauri, maxime Castillo, verb. succedat. ubi plures limitationes congerit, Matienzo, in d. l. 1. tit. 8. lib. 5. Recop. gloss. 7. ubi num. 6. limitat, & Pichardus in principio, Institut. de inofficioso testamento, ex num. 56. ubi num. 77. docet querelam parentibus dari, & si bona sint Castrensis vel quasi castrensis, de quo etiam ipse Pichardus in §. sciendam, Institut. de militari testamento, & in principio, quibus non est permittum facere testamentum num. 76. Barbosa in collectanea l. cum antiquis, C. de inofficioso testamento, & in l. cum filium, eodem tit. Peralta in rubrica, Cod. de heredibus instituendis, num. 181. Merlinus de legitima, lib. 4. tit. 2. per totum, ubi omnes causas refert & comprobatur.

37 Ad numerum 37. & 38. ibi: Quod tamen intellige quando talis frater, &c.

Fratrem præteritum vel exheredatum, turpi persona instituta, posse agere contra testamentum fratris, & illud tempore per querelam inofficiosi, notissimum est; ut ubi duobus numeris resolvit Gomezius, explicans quæ dicantur personæ turpes in proposito docet Menchaca de successio num. creatione, §. 10. ex num. 553. cum multis sequentibus, Gregorius Lopez in l. 12. tit. 7. & l. 2. & 3. tit. 8. part. 6. Castillo in l. 7. & 9. Tauri, Cavallos, questione 366. ubi latè disputat, an testamentum fratris intuentis turpem personam subjaceat querelæ inofficiosi, quando aliquid fratri fuit relicta, an solum agere possit ad supplementum? in quo duas communes contrarias opiniones adducit, & hoc ultimum eligit cum Gregorio Lopez, in l. 12. tit. 7. part. 6. verbo. La heredad, & verbo, de mala vida. Quod etiam tenet Pichardus ubi infra allegabitur: iterum ipse Cavallos, quest. 826. num. 7. ubi quod legata, & cætera debentur, ex authentica, Ex causa, Cod. de liberis præteritis, rupto testamento per fratrem, & idem tenent plures relati à Valdesio, in additionibus ad Suarez in l. quoniam, in evidentialibus, num. 12. ibi alia plura de hac materia, iterum videatur idem Cavallos, questione 366. Oñaldus ad Donellum, lib. 19. cap. 4. notatis lit. A Farinacius in fragmentis, verbo concubina, num. 545. & dec. 6. lib. 1. Gratianus discept. cap. 135. & cap. 863. num. 9. Surdus de alimentis, tit. 8. privilegio 95. Valascus consultatione 17. Costa in §. & quid si tantum 151. Gattierrez, lib. 4. questionum civilium, quest. 72. num. 14. ubi etiam disputat, an clausula codicillaris operetur quod ab intestato intelligatur hereditas relicta hæredi scripto per fideicommissum rupto testamento per fratrem & partem negativam sequitur, & in questione 73. ubi an spurius vel infamis infamia facti intelligatur turpis persona in hoc casu: & generaliter ibi, num. 13. agit quæ personæ dicantur turpes, & infames in proposito; Quæstada adversarum questionum juris, cap. 6. num. 10. & 11. ubi ait liberti posse testamentum fratris instituentis uxorum habentem publicam concubinam, Pichardus in principio §. Institut. de inofficioso testamento, versiculo: Soror autem, ex num. 84. & plures alios referunt Cenedus in Canonis, questione 17. num. 5. Ximenez in concordantiis utriusque juris, in l. fratris, & in l. fratres, 1. & 2. parte, optime Tuschus, lit. F. conclusionem 454. & lit. 1. conclus. 171. Oñaldus, lib. 8. c. 6. lit. 1. Merlinus de legitima, lib. 4. tit. 1. quest. 19.

ubi causas hujus exheredationis cumulat, Rodríguez de redivis lib. 3. quest. 4. num. 117. ubi an usufructuario instituto frater possit querelari, Matienzo l. 4. tit. 8. glossa 2. num. 2. & seg. ubi etiam an frater uterius impugnature possit testamentum fratris? & negativè resolvit. Et generaliter de hac materia ferè infinitos Doctores agentes refert Barbosa in collectanea ad l. fratres, vel sorores, Cod. de inofficioso testamento, ubi omnes casus à nostro Gomezio consideratos exornat Azevedus, l. 3. tit. 8. num. 13. lib. 5. recop. ubi quod frater instituens filium suum naturalem, non dicitur turpem personam instituisse; vide etiam Menoch. de arbitrar. casu 328. ubi de fratre instituyente mulierem quæ ob amorem semel se tradidit.

Ibi: Quanto intellige, &c.

Vide Clarum, §. testamentum, quest. 50. versiculo, pone tertio, Castillo, l. 7. Tauri gloss. 1. & alios relatos per Valdesium in additionibus ad Suarez, in l. quoniam in prioribus, in evidentialibus, num. 12. & Barbosa in collectanea ad dictam, l. fratres, num. 10. ubi refert Cavallos, dicta quest. 366. Gratianum, disceptationum, cap. 135. ex num. 23. & alios contra nostrum Gomezium tenentes, & tandem adducit resolutivè distinctionem quandam D. Joannis del Castillo, tomo 2. controversiarum cap. 19. ex num. 19. eum videas.

Ibi: In legitima quæ olim & hodie est quarta pars, &c.

Adde afflictiis in decisione 155. num. 2. & alios relatos à Valdesio supra, in l. quoniam in evidentialibus, num. 12. & Castillo supra, dicto capite 19.

Item adde utrum frater teneatur dotare forem exheredatam à patre? de qua Barbosa in l. 1. 4. parte, num. 135. ff. Solutio matrimonio, ubi resolutio non teneri, contra Baldum Novellum, Palacios Rubeos, & Benedictum in c. Raynatus, & alios.

Item adde quod frater sine causæ expressione ex sola ingratitudine ab hereditate repellitur, ex l. 12. tit. 7. part. 6. ut cum Gregorio in l. 10. dicto tit. 10. verbo, No la podrá despus mostrar, advertit Alvaradò de conjecturata mente defuncti, lib. 2. cap. 3. num. 51. Et de fratre legitimito, vide Caldas in l. si curatorem, §. sine curatore, ex num. 39.

Item adde quod licet Felinus in cap. at si Clerici, de judicis, in principio, num. 12. docuerit fratrem posse agere querelam, instituta muliere sterili; hoc non est verum; ut optime docet Barbosa in l. 1. ff. Solutio matrimonio, 1. parte num. 100. quia licet tempore Moysis lege judicaria infamis reputabatur mulier sterili, hodie hoc cessat post Christi mortem.

Item adde quod si quis promittit aliquem tractare ut fratrem, an debeat instituire illum? In quo Gratianus disceptat. cap. 135. cum alijs probat, quod si instituat turpem personam, tunc habebit locum querela; eum vide ibi, quia alia multa adducit circa præteritionem fratris.

Item adde ex eodem Gratiano tomo 1. c. 448. quod si persona honesta fuerit instituta cum alia turpi, tunc persona honesta retinet suam partem, licet frater agatur querela inofficiosi: Et cap. 863. n. 9. agit quid si concubina instituat. Ad numerum 39. ibi, An in foro conscientie 38



Itam questionem, an tuta conscientia possit frater instituire extraneum, relicto fratre? disputat etiam noster Gomezius in l. 8. Tauri, num. 4. ubi aliam opinionem contrariam huc tenet, & Rojas, ff. de legatis, 2. qum. 4. Benediculus in cap. Regnatus, verb. Testamentum, et primo, num. 7. Guttierrez, lib. 3. practicarum questionum, quest. 17. num. 275. & omnium latissime, Petrus Cenedus in questionibus canonicis, quest. 17. per totam, ubi optime, ut solet, controversiam dirimit, omnes opiniones refert, & tandem, num. 15. in sententiam nostri Gomezij hic, magis inclinat, cum eo temperamento, nempe quod frater teneatur fratri alimenta relinquere, ad que praestanda ipse vivens compelli poterat, vel saltem in foro conscientiae tenebatur, quod aliter se habere affirmat respectu aliorum consanguineorum, & num. 12. & 13. probat cum multis, quod sicut frater etiam Clericus teneatur, & compelli potest per iudicem alere fratrem suum pauperem, ita rationale est ut eadem alimenta ei in testamento relinquat, ad que praestanda in vita tenebatur, & si id non fecerit, haeres ab eo nominatus id adimplere tenebitur, & ad id poterit conveniri, & ad hunc casum ait esse reducendos Doctores affirmantes sub reatu mortalis teneri fratrem, suum fratrem instituire: vide etiam Bonacinam de contrahibus, disput. 3. quest. ultima, puncto 3. num. 13. ubi opinionem nostri Gomezij sequitur, secluso scandalo, & necessitate consanguineorum, & Dianam, tom. 1. tractatu 8. resolutione 85. ubi etiam refert contrarias opiniones, & tandem in eandem nostri Gomezij inclinat, & hoc multa conducibilia videbis per Theologos, 2. p. questione 26. & Gregorium de Valentia ibi: questione 4. de Ordine Charitatis, puncto 5. & Souzam in repetitione leg. famina, ff. de regulis juris, num. 68. & seqq. ubi sequitur nostrum Gomezium.

De Commissario ad exheredandum relicto, videas Regnicolas in l. 31. Tauri, & latissime Carpium, in tractatu de executoribus, & commissariis testamentariorum, l. 1. c. 9.

Item adde ex Costa in c. si pater, verbo potest, num. 5. quod frater excluditur per substitutum pupillarem licet sit persona turpis.

Propter ingratitudinem an possit exheredari successor in regno, vel majoratu, disputat late Costa de successione regni, ex num. 16. Mantica de conjecturis, lib. 8. tit. 12. num. 31. Gregorius, l. 9. tit. 7. partia 2. glof. 2. Caldas, vers. sua facilitate.

De exheredatione ob matrimonium clandestinum, supposita questione (de qua supra) quae causae sufficienti; vide Alvaradum de conjecturata mente defuncti, lib. 2. cap. 1. §. 1. num. 30. Azevedum, l. 1. tit. 1. lib. 5. & ibi Matienzum, & latissime Sanchez de Matrimonio, lib. 3. disp. 17. per totam.

Exheredari an possit filia peccans in corpus suum post 25. annos? Barbosa in l. 1. ff. de iure matrimonii, 4. parte, num. 31. & sequentibus, ubi contra alios affirmativè resolvit, & alter Barbosa in Collectanea l. 11. & 19. Codice de inofficioso testamento, vide etiam Baecam de dote, cap. 18. & Menochium casu 535. in fine, ubi quod id si etiam mater sit talis? Gratianus regu-

An alius Tertius possit impugnare testamentum extra filium prateritum, agit noster Gomezius, & vide Salgadum in Labyrintho, 2. parte, cap. 16. per totum, & cap. 24.

An reus laese majestatis possit exheredari? Farinacius quod sic, tom. 1. titul. 3. quest. 24. num. 18. & quest. 116. ex num. 68. & quod exheredatio facta colore iracundiae non valeat, idem Farinacius tom. 3. quest. 91. numero vigesimo septimo.

An Clerici testamentum subiacent querela inofficij vel nullitatis, ex causa prateritionis? Barbosa in Collectanea cap. 9. de testam. ubi negativè resolvit cum aliis, Fachinacius lib. 6. controversiarum, cap. 75.

De remissione tacita ingratitudinis, Gratianus, disceptationum forensium tom. 1. cap. 140. ex num. 8. & Joannes Gratianus in regula 238. Covarruvias in cap. Regnatus, num. 17. Suarez titul. de Matrimonio, num. 36. & sequentibus, Gregorius l. 4. titul. 7. partia 6. glof. 2. Barbosa in l. 1. ff. soluto matrimonio, 4. parte, ex num. 45. omnino futura autem ingratitude non potest remitti; Merlinus late de legitimis, lib. 4. titul. 1. quest. 5. num. 12. & questione 10. num. 45. & quest. 6. & 7. Bernardus Diaz, regula 523. Socinus regula 347. & alii plures congesti per ipsum Gratianum dist. regula 238. num. Barbosa, in l. 1. ff. soluto matrimonio, 4. parte, & Cenedus in collectan. 1. part. collectanea 49. ubi an per professionem Religionis remittatur ingratitude; post Covar. in cap. Regnatus, num. 20. & alios ab eo relatos.

Filio agenti de inofficioso sumptus litis ministrantur, Menochius de Arbitr. casu 169. num. 13.

De fratre (turpi persona instituta) excludo cum clausula codicillari, Fachinacius lib. 4. controversiarum, cap. 91. ubi etiam agit an spuris sit turpis persona, in cap. 95.


Filius non tenetur iurare querelam instantibus creditoribus, Ovaldus lib. 2. 3. cap. ult. littera C. & vide latissime Salgadum in Labyrintho, p. 2. c. 16. per totum.

Restitutio an concedatur minori, si incurrit ingratitudinem ex eo, quod non redemit patrem vel alia de causa. Et quid si remisit querelam? late Caldas, in l. si curatorem, §. lesis, num. 10. & seqq.

Querelam filio competentem pater non remittit, eo invito. Pinellus de bonis matris l. 1. part. 1. num. 1. & eum & alios referens Pichard. in relectione ad risulm, ff. de acquirenda hereditate, cap. 15. num. 11.

Filius justè exheredatus si testamentum per alium rumpatur, succedit ab intestato una cum aliis, Suarez, allegat. 2. num. 11. ubi id probat ex l. liberis, de doli exceptione, quam dicit singulari ad hoc; eum vide.

Cetera quae desiderantur in materia, videri poterunt per Doctores relatos num. 1.



CAPUT XII.

De Legatis.

SUMMARIUM.

- 1 Hodie in omnibus & per omnia, legata & fidei commissa sunt adequata.
- 2 Legatum an possit relinqui nutu, & quomodo dicatur nutu relinqui.
- 3 Legatum quid sit.
- 4 Legatum si solvatur in vita testatoris, an definit esse legatum.
- 5 Fructus legati, an debeantur legatario.
- 6 Legatum, an possit relinqui universitati.
- 7 Legatarius, quod jus habeat ad consequendum legatum.
- 8 Res heredis, an possit legari.
- 9 Error adhibitus in re legata, an vitiet legatum.
- 10 Quomodo possit legatarius rem legatam capere propria auctoritate.
- 11 Legata, an debeantur hereditate non adita.
- 12 Executor testamenti, an possit conveniri pro legatis solvendis.
- 13 Res aliena, an possit legari.
- 14 Res heredis, quomodo possit legari.
- 15 Si testator legavit rem, in qua habet jus, an videatur legare totam rem, an solum jus, quod habet.
- 16 Argumentum legati, an pertineat ad legatarium.
- 17 Haeres, qualiter teneatur solvere legata.
- 18 Si testator, habens plures res ejusdem generis, legat unam uni, aliam alteri, non exprimens in specie rem legatam, quis eorum eligat.
- 19 Legatum filio nascituro, si plures filii nascantur, an debeatur unicuique in solidum.
- 20 Si eadem res legetur pluribus, an sibi faciat partes per concursum.
- 21 Quando legatur pars honorum quosdam, veluti tertia vel quarta, qualiter debeat fieri solutio.
- 22 Fructus rei legata, a quo tempore debeantur legatario.
- 23 Qualitas apposta in primo legato, an censetur repetita in secundo.
- 24 Res que non est in veram naturam, an possit legari.
- 25 Si in legato apponitur onus, vel gravamen, an tantum valeat in eo liquo superest.
- 26 Legatum quod debitor facit creditori de debito, an valeat.
- 27 Legatum factum a debitore creditori, an in dubio censetur factum animo compensandi cum debito.
- 28 Si fidejussor legat creditori illud, quod debet pro aliquo creditore, an valeat legatum.
- 29 Quando testator legat pecuniam, quae potest diversis accipi modis, qualiter sumetur conjectura mentis defuncti.
- 30 Si testator legat omnes seruos cum certa qualitate, quae tantum in uno inest, an omnes debeantur legatario.
- 31 Quando quantitas debetur respectu speciei, perempta specie an debitor liberetur.
- 32 Legatum in genere, an valeat, & cuius sit electio.

- 33 Legatarius, an possit dividere legatum pro parte acceptando, & pro parte repudiando.
- 34 Si testator legat uni fundum, & alii quantitatem, & tantummodo in hereditate reperitur ille fundus, quis preferatur.
- 35 Si legatarius emat, vel alio titulo acquirat rem legatam, an possit illam petere.
- 36 Legata relicta ab instituto, an, & quando debeantur a substituto.
- 37 Condicio apposta legatario, quando transeat ad ejus substitutum.
- 38 Eadem quantitas, si bis sepius eidem legatur, an censetur legatum multiplicatum esse.
- 39 Si testator legat rem suam, qua erat alteri pignorat, an haeres teneatur eam luere.
- 40 Heres, qui habet rem subjectam restitutioni, si interim facit in re aliquos sumptus, an possit illos repetere.
- 41 Si testator legat domum, qua postea diruitur, an debeatur area.
- 42 Si testator facit prelegatum haeredibus institutis inaequaliter, an debeatur utiliter, an vero proportionibus hereditariis.
- 43 Si legatarius emit rem legatam ab haere, an sibi prejudicetur.
- 44 Si testator destinavit rem, in qua solvatur legatum, & res pereat, an pereat etiam legatum.
- 45 Legatum ambiguum, an debeat solvi ab haerede, an fideicommissario honorario.
- 46 Legatum factum seruo proprio an valeat.
- 47 Legatum, quando possit conferri in voluntatem alterius.
- 48 Electio persona legatario, quando possit committi haeredi, vel alteri.
- 49 Si testator legavit quicquid habet in tali camera, vel loco, an censetur etiam legare, quae ibi postea posita fuerint.
- 50 Si testator legavit frumentum, quod habet in certo loco, eo consumpto, an debeatur, quod ejus loco est subrogatum.
- 51 Si testator legavit alicui, quantum haeres habebunt, quid debeat legatarius consequi.
- 52 Legatum factum sub conditione, an possit renuncitari.
- 53 Si in diversis testamentis reperiantur alicui legata, diversae summae, quae summa debeantur.
- 54 Gravari quando possit quis, plusquam honoretur.
- 55 Si testator legavit alicui simpliciter laenam, quid veniat in hoc legato.
- 56 Quibus modis revocetur legatum.
- 57 Quibus modis possit fieri legatum, & quae sit natura, virtus, & effectus ejuslibet.
- 58 Si minori legatur aliquid, cum fuerit legitime aetatis, vel cum possit bona sua administrare, quo tempore debeatur.
- 59 Condicio qualiter diffiniatur.
- 60 Conditionum quot sint species.
- 61 Conditiones casuales vel mixtae possunt impleri tam in vita testatoris, quam post ejus mortem, potestativa post mortem testatoris impleri debent.
- 62 Condicio facti non sufficit, quod impletur ignorante eo cui est relicta, secus in conditione juris.